

2007 TSJCL Convention
Latin 1/2A, 1/2B, and I Sight Recitation Passage

Plautius erat vir dīves. Plautius multās rēs pretiōsās in cellā habēbat. sed fūr noctū vēnit et candēlābrum aureum abstulit. proximā nocte urnam argenteam abstulit. Plautius servōs suōs dē fūrtīs rogābat, sed nēmō fūrem vīderat. trēs servōs igitur dēlēgit. ūnus servus cellam prīmam noctis partem custōdīre dēbēbat; alter servus mediam noctis partem; tertius tertiam partem. sed ubi māne erat, fūr tripodas pretiōsissimōs abstulerat.

‘fūr est servus meus,’ inquit Plautius. ‘ūnus ex hīs tribus servīs tripodas abstulit.’

itaque Plautius illōs trēs servōs in tablīnum suum vocāvit.

‘quis est fūr?’

nēmō respondit. Plautius igitur trēs virgās servīs trādīdit.

‘virgae sunt magicae. virga quam fūrī trādo mane longior erit.’

deinde omnēs servī ad cubicula discessērunt. servus quī fūr erat valdē perterritus erat. ‘mea virga,’ inquit, ‘māne longior erit.’ itaque virgam dentibus brevīōrem fēcit. sed ēheu! virga nōn erat magica; nōn erat māne longior; brevior erat.

Plautius servōs congregāvit.

‘quis habet virgam brevīōrem? servus quī virgam brevīōrem habet est fūr!’